



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XLI. De S. Alberto Carmelita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

uulgata, vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinauerit & timuerit eò ire. Obijt verò S. Nicolaus Tolentinas anno 1306. die 10. Septemb. postquam sex mēsis continuis suauissimum Angelorū concentum quotidie percepisset, ridens & lætundus astantibus dicens: Dominus meus Iesus Christus suæ beatissimæ Mariæ & benedicto Patri Augustino inhærens meque ad beatitudinis immensum gaudium inuitans, ait: Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Relatus est inter Sanctos per Eugenium Papam IV. anno 1446.

## C A P V T X L I.

*De S. Alberto Carmelita.*

1. ad Ti-  
moth. c. 4.

**Q**uamuis, teste Apostolo, omnis creatura Dei bona sit, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: multæ tamen sanctificantur per verbum Dei & orationem Ecclesiæ. nam quantum potestatis vsurpauit sibi dæmon in cibos ante Christum, vt per eos noceret hominibus, docet S. August. l. 18. de Ciuit. Dei c. 17 & 18. & S. Gregorius l. 1. Dialog. 4. narrat dæmonem inualisse monialem quòd lactucam sumpisset non præmissâ benedictione. vnde Chrysoft. contra hæc diaboli veneficia præscribens remedium, signum crucis & benedictionem; Medicamentum, inquit, in promptu est; signum crucis illi (cibo aut rei quâ vti vis) imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscedet. Hinc à SS. Patribus & Eremitis olim, æquè vt ab Ecclesia etiamnum fit, benedicebantur aquæ, panes, mel, lac, vinum, aliæque stas diebus, vt diaboli vis ac potestas ex ijs expelleretur, & per has consecrationes fieret mentis & corporis sanitas ijs qui illis vterentur. Sic in die Paschatis multis in locis consecrant mel, lac, carnes, oua, panes, per-  
nas.

nas, &c. in die S. Ioannis benedicunt vino; in die S. Stephani pascuis, in die S. Marci segetibus; in die S. Iacobi Maioris, ex ritu Missalis nostri Præmonstratensis, fructibus arborum; in die S. Sixti, ex eiusdem ritu, vitibus; in die Assumptionis B. Virginis herbis, plantis, radicibus, ut eis deinceps adsit singularis vis diuina: nam, ut supra dixi, sanctificatur creatura per verbum Dei & orationem Ecclesie. Retuli iam capite præcedenti, in Ordine Eremitarum Augustinianorum vsum esse, panem benedicendi quem cum aqua & inuocatione S. Nicolai Tolentini capientes, à morbis contagiosis seu pestilentia liberantur. Ad eundem modum in Ordine Carmelitarum discalceatorum pia viget consuetudo benedicendi aquam sub inuocatione S. Alberti Confessoris quam pij fideles in antidotum seu præseruationem contra pestem solent bibere, confidentes se eiusdem sancti suffragantibus meritis adiuuandos vel præseruandos. atque intellexi à Religiosis prædicti Ordinis Patribus, hoc anno grassante contagione Louanij, in maxima abundantia eandem benedictam aquam fideles expetisse & bibisse, non dubium quin magno suo commodo, Ciuitate illa, tot diuersarum nationum studiosis refertissima, vix aut leuiter tantum peste correpta. Est verò iam dictus Albertus, nobili stirpe apud Siculos natus, quo cum semater eius sentiret grauidam, vidit ex utero suo, quadam nocte secundum quietem, cereum prodire mirifice radiantem; quæ visio etiam patri oblata fuit; argumentum non fallax infantem eximia vitæ sanctitate quandoque radiaturum, uti & in omnibus actionibus suis per totam vitam clarissimis virtutum fulgoribus radiauit, sicut apud Surium videre est ad diem 7. Augusti, quo festum eius in Ecclesia colitur. Migravit è corpore multis miraculis etiamnum viuus coruscans, anno Domini 1292. campanam monasterij, nullo mouente, per seipsam insonante, & odorem suauissimum eius corpore in omnium nares exhalante:

Dd 2

quod

quod cum terræ esset mandandum, ingens lis & concertatio Clerum inter & populum exorta est, quoniam Missæ officio; eone quod Defunctorum proprium est, an verò quod Confessoribus debetur, exequiæ celebrandæ essent: Clero defuncti Missam celebrandam esse dicente; contra populo tam eximie sanctitatis viro Confessoris Officium deberi asserente. Tandem Vindericus Messanenensis Archiepiscopus cunctos in vota precesque incumbere mandat, & ecce in aere duo pueri amicti stolis albis auroque in textis, *Os Iusti meditabitur sapientiam*, cantandum esse, excellens voce denuntiabant, quo miraculo sopita controuersia, diuinum Confessoris Officium miram populi frequentiam & exultatione celebratum est, & Rex qui exequijs intererat, ilico operam & impensis regni, sanctorum catalogo virum sanctissimum, inferendum curauit. ita legimus S. Bernardum Clareualensem cum Missam pro defuncto Ven. Alberone (qui, Episcopatu Viridunensi abdicato, Ordinis Præmonstratensis habitum in monasterio S. Pauli, à se ex Benedictino in Præmonstratense conuerso, apud Viridunum adsumpsit anno 1156.) cantaret, mutasse Collectam Defunctorum, in Collectam Confessorum, (uo calculo, quantum in se erat, eum canonizans.

Demochi  
lib. de  
Sacrif.  
Missæ  
in tab.  
Episcop.  
Viridun.

Alius est ab hoc Alberto eidem cognominis Patriarcha Hierosolymitanus, qui Brocardo Priori ceterisque fratribus in monte Carmelo agentibus, vitæ regulam (quam hodieque seruant monachi Carmelitæ) anno 1171. præscripsit, vti in fine Regulæ habetur adnotatum; quamuis Onuphrius extendat ad annum 1205. Fuit autem hic proximè memoratus Albertus Patriarcha, pronepos Petri Eremitæ, qui Urbano II. Papæ author fuit belli sacri suscipiendi in Palestina; scribitque Aub. Miræus se veterem nummum argenteum ex Philippi II. Regis Catholici bibliothecâ depromptum diu possedisse, cuius hæc erat inscriptio ex vna parte:

Miræus  
in fast. &  
in origin.  
Terclau.

parte: *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus anno M. CC. VI.*  
 ex altera parte: *Hierosolyma à Saracenis capta, sede Aconem  
 translata. Numus peregrinorum.* in quo nummo spectantur  
 insignia Urbis Hierosolymitanæ, nimirum littera H. cum  
 littera I. interfecante (quasi dicas Hierusalem per abbrevi-  
 ationem) & quatuor cruciculæ circumpositæ quod contra  
 vulgi errorem, crucem grandiolem cum minoribus  
 quatuor in scuto exprimentis, à doctioribus adnotatum  
 fuit. Spectanturque insuper in eodem insignia gentilitia  
 familiæ Eremitanæ, nempe terni flosculi quinque folio-  
 rum, cum calculis precarijs in formam Rosarij digestis, ex  
 quo liquet non vanè Petro Eremitæ Calculorum istorum L'Hermité  
 inuentionem à Polydoro Vergilio alijsque attribui. Habet  
 verò etiam hodie Hannonia atque Antuerpia suos Eremitas,  
 qui ad Petrū Eremitā olim coniugatū, genus suū referunt.  
 Tertius est Albertus Rhemorū Archiepiscopus, Godfridi III.  
 Lotharingæ Brabantiaq; Ducis ex Margareta Limburgicā  
 filius, pro defensione Ecclesiasticæ libertatis in Gallia apud  
 Rhemos anno 1192, martyrio coronatus; qui duobus præcedē-  
 tibus venit adnumerandus, quod in Carmelitarū quoq;  
 familiā post mortē suā transferit, anno siquidem 1612,  
 sacra eius ossa Melchior Demaronius Episcopus Briocensis,  
 Ludouici à Lotharingā Archiepiscopi Rhemenfis iussu magnā  
 solennitate è terra eleuauit, inde magno comitatu in  
 Belgicam, ac demum Bruxellas transferarum Diuum sibi  
 cognominem sanguineque iunctum, in Carmelitanarum  
 Virginum discalceatarum Cœnobium Albertus Pius Belgarum  
 princeps, anno eodem die 11. Decemb. suis ipse humeris  
 inuexit, Guidone Bentiuolio tunc Internuntio Apostolico,  
 nunc S. R. E. Cardinale, Matthia Houio Mœchliniensi,  
 Ioanne Richardoto Cameracensi Archiepiscopis, Alfonso  
 Requesentio Rosonenfi in Dalmatiā Episcopo, Abbatibus  
 plurimis & aulæ proceribus.

Dd. 3.

vniuersis.

vniuersis comitantibus. Anno autem sequenti Paulus V. fortissimum Dei athletam peculiari diplomate Cœlitibus adscripsit, quod vide apud supradictum Miræum in factis Belgicis, ad diem 2. Nouemb.

Baron.  
anno 144.

Disputare hoc loco num hodierni Carmelitæ verè suam originem ab Elia & Eliseo cum fundamento deducant, contentions seminarium foret aperire & scandalorum ansam quàm plurimis præbere. quare de consulto super sedeo. Scio namque magnam Baronium in hoc negotio, dum agit de Cyrillo Alexandrino & Ioanne Hierosolymitano, utroque in Carmelitarum classem ab eis reducto, figmentum & fabellam (verba eiusdem sunt) exsufflando, scripsisse: *Flagrans cupido nobilitatis auitæ, cogit interdum homines delirare.* Parua erit quæstio in die iudicij quàm auitæ parentem religiosus habuerit: sed totus cardo in eo versabitur, quàm bene parentem suum secundum eius & Ordinis præscripta secutus fuerit. non enim de primitate collationis (inquit sapienter de Regula S. Augustini agens B. Iordanus) sed de præcipuitate obseruationis est curandū. omni siquidem scrupulo semoto, æstimo quòd illi de ipsius Regulæ primatu digniùs glorientur, qui contenta in regula deuotiùs & feruentiùs exequuntur. & si optare possem, hoc mallet in hoc S. Ordine potius inueniri, quàm quòd ipse S. Augustinus Regulam ipsam Patribus nostris (Eremita erat Augustinianus hic Iordanus) primò dederit. Sed timendum ne plerisque de principalitate Regulæ litigantibus accidat sicut Iudæis qui glorientur se primos esse in collatione legis, & de ipsius obseruantia minimè curant, imò ab eadem deficient.

C A P.